



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCXXXII. ad annum CCCCLI.

Parisiis, 1644

Inqvisitio IX. De his qui dolore nimio perurgente rogant dari sibi poenitentiam, & cum venerit presbyter daturus quod petebant, si dolor parum perquieuerit, excusant, & nolunt accipere quod offertur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14584

INQUISITIO VI.

*De his qui mulieres, ex quibus filios habent, relinquunt,
& uxores accipiunt.*

RESPONSIO.

Ancillam a toro abiicere, & uxorem certæ ingenuitatis accipere, non duplicatio coniugii, sed profectus est honestatis. 32. q. 3. Ancilla a toro.

INQUISITIO VII.

De his qui in ægritudine penitentiam accipiunt, & cum reualuerint agere eam nolunt.

RESPONSIO.

Culpanda est sane talium negligentia, sed non penitus deferenda: ut crebris cohortationibus incitati, quod necessarie expetierunt fideliter exequantur. Nemo enim desperandus est, dum in hoc corpore constitutus est: quia nonnunquam quod diffidentia ætatis differtur, consilio maturiore perficitur. De Pœnit. dist. 7. Nemo desperandus.

INQUISITIO VIII.

*De his qui animo iam deficientes penitentiam accipiunt,
& ante communionem moriuntur.*

RESPONSIO.

Horum causa Dei iudicio reseruanda est, in cuius manu fuit, ut talium obitus usque ad communionis remedium differretur. Nos autem, quibus viventibus non communicauimus, mortuis communicare non possumus. 24. q. 2. De communione.

INQUISITIO IX.

De his qui dolore nimio perurgente rogant dari sibi penitentiam, & cum venerit presbyter daturus quod petebant, si dolor parum perquieuerit, excusant, & nolunt accipere quod offertur.

RESPONSIO.

Dissimulatio hæc potest non de contemptu esse remedii, sed de metu grauius delinquendi. Vnde penitentia quæ dilata est, cum studiosius petita fuerit, non negetur, ut quoquomodo ad indulgentiæ medicinam anima vulnerata perueniat. De Pœnit. Dist. 1. Penitentia que.